



206

Ad  
EXTREMUM VALE  
TUMULO  
VIRI  
ADMODUM REVERENDI, AMPLISSIMI ET EXCELLENTISSIMI,  
**DN. ENOCHI**  
**HIMMELI,**

S. S. Theol. Doct: celeberrimi,  
PASTORIS ET SUPERINTEND. TORGENSIS,  
ut optimè meriti ita quoq; desideratissimi,  
IN SHOLA DICENDUM,

DOMINOS HONORATISSIMOS,  
Patronos, Inspectores, & Fautores  
cunctos & singulos,  
Rector

**M. IACOBVS REICHMAN-**  
**NUS,**

hàc scripturâ humanissimè invitat.

---

TORGÆ  
LITERIS Johannis Reinhardi  
Anno 1666.



AMPLISSIMO PRUDENTISSIMOQUE

# SENATUI

INCLUTÆ REIP. TORGENSIS,

DOCTRINÂ, VIRTUTE ATQUE AUTHORITY

CONSPICUIS DOMINIS

CONSULIBUS,

PRÆTORIBUS,

SENATORIBUS,

PATRONIS SVIS

LAUDATISSIMIS,

PRIMUM HOC PROGRAMMA IN VRBE TORGENSIVM

EXCUSUM

MERITÒ LUBENSQUE


SACRUM

ut Fata esse voluerunt: ita honoris testi-  
standi, levandiq; doloris ergò de-  
buit eà, quâ par est, humilitate  
offerre monumentum

SCHOLÆ TORG. RECTOR

M. J. R.





**Q**uantum concusserit universam Christianorum Ecclesiam inauspicatissimus iste, qui præter omnium opinionem fataliter ingruit casus, cum optimus & maximè orthodoxus Theologus, Doctor, & Antistes noster, Reverendus admodum & Excellentiss. DN. **ENOCH HIMMELIUS**, planè excederet humanis rebus, suisque auditoribus supremum diceret vale; non tantum in superstitum PASTORUM, collegarum, & confratrum suavissimorum vultibus ingentium lacrymarum lituræ ac notæ loquuntur; sed PATRONORUM pariter, SENATUS Amplissimi, juxta ac Prudentissimi, nec non singulorum civium, qui vel Torgæ degunt, vel quos alibi locorum infregit miserè luctus, & nova dilaceravit plaga, profundi gemitus & ingens viri exoptatissimi desiderium, locupletes poterunt adesse testes. Cuncti siquidem perquam miserabiles & suas, & Urbis hujus vices dolent vehementer, quod nec litare fas sit calamitati, aut crudelem adeò fatorum sævitiam deprecari. Supputare enim & annorum & SUPERATTENDENTIUM plurimorum Ecclesiæ Argeliensis numerum didicerunt ij, quorum in eum adducta gradum ætas, ut nondum in præcipiti stare admodum videri possit. Horum in oculis recentiq; memoriâ toties vulneratum Ecclesiæ corpus fuit, & toties insignia funera facta, illa prædatrice vitæ nullatenus cohibente manus velâ venerandis & eminentioribus Doctorum cathedris. Et licet insanum cojerint quandoq; vulnera, cutemq; duxerint; multū tamen sanguinis amissi copia, vix ita convalescendi spem pollicitura, ut non maneat adhuc, quod virium dejectionem latius altiusq; aperiat. HIMMELJ verò funus, quod attinet, si apud animum rectius reputamus, quæ vis ingenij floruerit in ipso, quæq; judicij gravitas, qui rerum usus & experi-

A 2 entia,



entia, utpote quæ Ecclesiarum Rectores efficacissimè instruere solet: quæ item sine numero virtutes egregiæ; qui denique in ore lepos & suavitas in labijs sessitaverit, cui nō luctuosus atq; acerbus accidat obitus tam repente factus? cui non dolorē augeat, dotes omnes oppido singulares, earundemq; usum nobis nunc planè esse interceptum: quas omnes, quo rarius hodiè in Præsulibus reperies, hoc tristior certè acerbiorq; illarum hoc in funere jactura universis statui debet. Recordantibus adhuc præteriti temporis spatium, & ante quadriennium ipsum accersiti Doctoris memoriam mente respicientibus inde usq; repetendo subit, quæ Superiorum gratulationes, qui omnium ordinum concursus, quæ civium vota, studia, voluntates & quàm faustæ acclamations à singulis factæ, ut Doctori suo ipsa rupes, cui Vrbs nostra & Arx imposita, trahens cum naturæ indultu secum turrigeras portas & mœnia, videretur obviam prodire cupere, Eidem gratulatura eminus, qui suo ingressu opem & salutem, quin & uberrimam benedictionem cœlitus simul afferre non immerito putabatur. Nomen quippe cœleste, singulare & præcipuum quidpiam, simulq; omen rerum, ut oblatae functionis prosperum successum; ita haud sanè infructuosam optatissimi Præsulis operam auditoribus novis portendebat. Nec frustra tanto ardore ac toties dicata vota, aut summas omnium expectationes fuisse, continuati indies applausus comprobare, cum primis in templo, quod perorante ENOCHO, ingenti frequentia hominum haud obscure Ejusfaventium honori, completum, manifesto indicio significavit, inusitatas docentis dotes, & peculiaris doctrinarum genera, inusitatum quoq; & peculiare auditorum studium sibi prope suo jure conciliasse. Ædes sanctæ nihil aliud sunt, quàm cœlicolum tabernacula; ubi præsentiam Numinis cœlestis, quod ibi colitur, editq; oracula merè divina, de suo cœlo delabatur quasi, seq;



si, seq; ipsam manifestat, nec quisquam se religiosius inter-  
futurum rebus, quæ sacerrimo ritu peraguntur, crediderit,  
quàm si pleno pietatis Zelo accedens, in cœlestes incidere se  
globos, & cœlestibus propterea indulgendum cogitationib9  
& pijs studijs, sibi habet persuavissimum. Ipsam enim divi-  
nam Majestatem colimus hisce in locis, non tantùm benè o-  
minatis præcibus, sed fausto formidinis silentio, & sedula  
auscultatione eorum, quæ in animarum salutem à sanctissi-  
mi verbi præconib9 summa contentione percipimus propo-  
ni. Hoc autem proprium erat HIMMELIO, ut quotusquisq;  
sacris Ejus concionibus statis diebus interesset, cœlum ipsum  
salubriter intueri, & occupare totum sibi videretur. Hærent  
adhuc, credo, aculeata dicta multorum memoriæ; hærent,  
& quotidie magis atq; magis tot tamq; graves impacti pie-  
tatis stimuli interiora cordium penetrabunt, ferientq;: præ-  
cepta verò fideliter instillata, & monita plusquam ex paterno  
animo profecta, eò custodientur attentius, quo ipse in per-  
fungendis officij partibus se graviorem juxta ac gnaviorem  
præstitit: solatia porrò ad suffulciendum animum compara-  
ta, quæ subinde dixit laborantibus fortunâ publicè, tantum  
abest, ut elabantur ex eorum animis, qui pronis auribus hau-  
ferunt ea juxta ac fidis custodienda tradidere mentibus, ut re-  
repullulatura subinde sint, & in mentem periclitantium cre-  
brius ventura, quo munire forti9 pectus imposterum possint  
adversus quosvis insultus terroresq; malorum, hac præser-  
tim tempestate, ubi miserorum querelis, & ejulationibus  
nullæ non plateæ, ædesq; resonant, & omnivariæ calamita-  
tes, & urbem & regiones circumcirca vexant. Et sic cœlum  
nos hæctenus interris habuisse, quis est, qui ex fideli Torgen-  
sium cœtu ire audeat infitias? O verè beatos, ôter atq; am-  
plius felices nos, quibus sub HIMMELIO cœlestem licuit vi-  
tam degere, & cœlestium imitari geniorum societatem! Mi-





seros contra vicissim, qui jam veluti privati cœlo, incredibi-  
lem multoq; gravissimum dolorem in sinu fovemus, dam-  
naq; recensemus nostra, amissis excellentioribus dotibus,  
præsidijsq;, quibus ornata de integro visa erat dignitas Eccle-  
siastica! Nunc ereptas penitus extinctasq; mirum inmodum  
desideramus eas. Quid absq; Cœlo mundus, & quid omnes  
res, ex quibus conflatum hoc Universi est, nisi adsit præstò,  
qui cujusq; nostrum fortunas ordinet atq; disponat? Quid  
absq; cœlesti & prudenti animorū directore, & valere & pro-  
ficere tandem poterunt sacræ res, in cujus sinu indulgentiaq;  
mentes auditorum acquiescant, & per divinarum doctrina-  
rum cultum vitam mortalē transigant, eaque transacta æter-  
nam possessionem obtineant? Quo itaq; majus atq; incredi-  
biliq; antea in obtinendo capite & Moderatore fuit gaudium,  
eò luctuosior Ejusdem nunc erit jactura, cujus aspectu com-  
modoq; carendum jam longè Ecclesiæ toti, cujus non vacil-  
lant columnæ, sed penitus emotę subtractæq; jacent. Hecto-  
ris nomen & gloriam non levem quandam auctoritatem Vr-  
bi, sed veluti præsidium maximum addidisse, quo amisso, &  
Trojam unâ suam amisisse decus, ac cum eo quasi sepultam  
sitamq;, unâ fuisse prodiderunt Poëtarum monumenta. Maxi-  
moperè veneramur Deum, ut meliora semper sperare possi-  
mus! Verùm, ô utinam, ne templa sacratissima, & tot alijs  
sublatis columnis, & jam HIMMELJ quoq;, exequijs celebra-  
tis, suâ quoq; sentiant funera, & eadem, quæ alijs in viciniâ  
passim incumbunt, experiantur fata! Nunquam adeò à secu-  
lorum exordio immanissimus Christiani Nominis hostis sæ-  
Vire visus est, quam hoc ipso momento, ubi nefaria multa  
hinc inde molitur & agitatur, ut turbet pietatem, contra mistu-  
rus sacra, ac jugulaturus vagabundas oviculas, cum Pastorū  
curam longissimè viderit abesse. Novit alio tempore tyran-  
num agere, & apertâ grassari vi, alio verò ex insidijs faverri-  
mi la-



latronis in morem, ingruere, & non prævius incidere nervos.

In magno profectò versatur periculo pecuaria res, ea, cum lupis undiq; frementibus circum, insidiantibusq; vulpibus astutissimis, animoso & fidelissimo Pastore suo destituatur. Nisi in aciem prodierit contrà tam acerrimo hosti & lupo verè in fernali cordatorum doctorum multitudo, quibus referata omni tempore & circumdata undiquaq; esse debet Ecclesia, quonam pacto salvæ & inconcussæ stabunt res sacræ? qua ratione discrimina tanta in perniciem nostrarum animarum comparata elabi feliciter poterimus? Atqui ad sustinendas partes has divinum quoddam requiritur ingenium, & doctrina excellens, & minus vulgaris eruditio: sicut forte ad alias functiones administrandas admitti facilè queunt, qui haudquaquam per tale genus doctrinæ grassati. Hic verò in tuenda Ecclesiastica re, quo uberius robur, & prudentia major ac solertia exigitur, hoc minus angusta ac tralaticia eruditione potest esse contenta Ecclesia.

Nec talium quidquam defuit in HIMMELIO, quem ad istud munus natura genuerat, disciplina erudiverat, multorum exercitiorum, annorumq; usus, & regendi defendendique consuetudo assuefecerat. Nam parentibus Excellentissimis auctus, à teneris unguiculis eò ductus, ut per liberaliū Artium culturam, pueritiam, adolescentiamq; transigeret, transegitq; in Magistris Studiorum Officinis illustribus, ijsq; quamplurimis, ex quibus cultior prodijt, atq; ad alios aliosque honores ac laudes ascendit aspiravitq; magis magisq; donec tandem singulari Numinis summi ductu, ad nos veniret, Ecclesiæ nostræ Antistes datus, pariq; fide, ut alibi, ita hoc Præsenti munere fide maximà fungeretur. Ubivis locorum verè obtinuit suam Cœlestem Nomenclaturam, verè, & ipso facto cœlestes possidendo pariter atq; exerendo dotes.

Quemadmodum quibusdam rarus Cœli favor concessit,





fit, expedire citius sine ullo labore, & morositate negotia, quam alij pertinaci & indefesso sudore: Sic HIMMELIO hoc proprium erat, haud lentis edere maxillis, tempusq; perdere procrastinando: Sed dictum factum, ipsi erat egregias cogitationes concipere, juxta ac explicare, tam Ei erat in proclivi, quam facile est Soli producere lumen, idemq; in omnes terrarum partes diffundere. Scilicet ut Solaris orbis admirabili celeritate cursum quotidie conficit, sine ulla fatigatione, sine sensu laboris, sine tadio decurrens per vastosum coeli spatium, nunquam intermittente motu lassatur: Ita optimi cujusq; mens, quæ coelo plurimum imputat, viribus subinde novis redintegratur, & perpetua animi intentione mirifice ardens alacritatem in obeundo munere auget, exercetq; ac perficit negotia.

Ad hæc sigillatim recensenda benigna demum differendi materies sese aperiret, ubi facilius sit principium invenire, quam dissertationis exitum evolvere. In primis quod antiquo simplicitatis, & Germana fide conspicuus HIMMELIUS omni censu bonorum prædicaretur, in quo contemplari licuit cum eodem conversantibus Germanum hominem melius, quam penicillis Apellis aut Lysippi coelo sculptum ætq; expressum.

Verum reducenda hic omnis oratio est ad compendium, & ostendendum, illum luctum, qui Ecclesiam, Urbem & regiones circumfudit, eundem pariter & Scholam nostram non mediocriter tentasse. Hoc nisi velimus publico quodam probare pietatis monumento, jure possemus argui, tanquam vilissimi Patronorum, Inspectorumq; nostrorum aestimatores, aut parum observantes dignitatum Ecclesiasticarum. Absit verò tantum, ut vituperio hoc onerandi, ut potius ipsas Gratiarum superaturi simus mentes, apud cunctos profitando, quantis nominibus tantorum virorum meritis teneamur  
obstri-



obstricti, nec non, quam parū simus solvendo, si quis Schola-  
stici pretij justa velit lance ponderare conditionem. Laudan-  
dus siquidē si quis est præclariorum, non nisi ab ijs fieri con-  
venit, qui & ipsi præclari ex omni honorum cumulo compo-  
siti sunt. Quid verò abjectius coram fœcundo admodum cul-  
parum seculo est Scholis? quid in omnibus trivijs, tritum  
magis est, quam inter postremissimos reiiciendos esse pulve-  
re Scholastico aspersos? Sic vulgus utilia discernere novit  
à mundano fastu & pomposis titulis! Sed & verum hîc faten-  
dum in hoc negotio, & minimè dissimulandum, præclari ad-  
modum aut satis dignum summorū virorum personis com-  
memorari nihil adeò posse ab ijs, qui literarum rudimenta  
inter subsellia ponunt, & ad capeffendam Oratoriæ provin-  
ciam modo aspirant, fastigium verò attingere nondum ausi  
sunt. Jam quotusquisq; nostrum ignorat, laudem traliti-  
tiam haud magnum à vituperio videri prudentioribus ab-  
esse. Quemadmodum in faciendis sacris sapientissimus ille  
Solon sanctione cavet; ne divinæ res fiant in transcurso: ita  
haud meritò nobis Cœlestem Virum Theologum orthodox-  
um collaudaturis, id dictum maximè statuimus. Memores  
illius Historiæ Jugurthinæ conditoris olim, cui visum erat,  
nihil magis officere Præclarissimorum laudibus, qui perfe-  
ctionem certè absolutissimam præ se ferunt, quàm si frigidè  
ab audaculis & parum instructis præparatisq; animis extol-  
lantur, ijs verbis, quorū temeritate magis eos prophanari ac  
polluijs censuit, quam pulchro aliquo & ore rotundo dextre  
atq; feliciter ornari. Quocirca idem hic exclamare solitus est  
de præstantissima Vrbe: MELIUS ESSE TACERE, QUAM PARUM  
DICERE DE CARTHAGINE. Nihil prohibet, quo minus id supe-  
rinentes Viros celebraturis contentissima voce acclame-  
mus: & impræsentiarum nostris quoq; de HIMMELJ vita,  
factisq; Verba facturis: PRÆSTAT OMNIÒ DE HIMMELIO,

B

vel



VEL PLANE TACERE, AUT PAUCISSIMA IN MEDIUM PROFERRE VERBA, QVAM ORE INFANTE PARTURIRE SERMONEM, AUT STIPULÂ MISERRIMÈ DISPERDERE LAUDEM. Sic enim HIMMELJ memoria & reverentius illibata Pietati religiosorum auditorum & tutius permittetur, quàm si temerè effutientium loquelâ detenda esset.

Sunt tamen, qui nomina sua ultro professi sunt, & in se suscepturi dicendi partes pro virili, asseverarunt, salvâ Pietate fieri non posse, ut communi hoc luctu planè quoq; obmutescât Musæ. Pietatē esse, eamq; se Manib9 Doctoris sui testari velle publicè contenderunt. Pietatem ubivis locorū veniā dignissimam mereri, novimus ipsi, & omnibus liquidò constat; nec ipse fortassis DN. DOCTOR, si in vivis apud nos adhuc esset, pro humanitate suâ aspernatus sanè hoc aut simile quoddam, qualecunq; certè officij & pietatis genus illi offerretur: quidni jam ex oculis subtractū & ad cœlestē patriam transvectum, unde dono antea tam ingens pignus ac depositum in terras missum erat, veneraturi simus hîc pijsimo cultu, quilibet pro ea ratione, quâ potissimum cœlestes proceres jam triumphantes, ritu Christiano coli & exoptant & par est. Totus, credite, non obijt HIMMELIUS. Ejus proinde obitum nanijs, lamentationibus molestis, aut ignavo luctu haud prosequemur. Sed ut memoriam Viri pie inviolateque tueamur, quam ita interris amavimus atq; complexi sumus, ac si cœlum in manu tenuissemus. Hujus recordatione erigemus animos superstitum, fortibusque solatijs ægritudinem & luctum, in quem universi dati sunt, territi trepidantes, adeoq; consternati, ac si HIMMELIO discedente discessisse à se Cœlum superius ipsum visum sit, leniemus: Non alium atq; alium Cœlorum conditorem ac directorem esse, alio tempore videri talem: Etiam regiones in Cœlo superiori tueri statum, licet inferius spatium pluviarum, ventorum



torum vim, & tonitrua excitare, miscere ac turbare omnia conetur. Præpotentissimo Cælorum DOMINO Ecclesiam, Remp. Scholam, & nosmet ipsos devotè commendabimus, quacunq; turbemur tempestate, bona spe freti, Hunc ipsum, qui adduxisse frontem, cælumq; eripere nobis visus est, soluto item vultu ac benignissimo sidere oppidò Vrbi affulsurum. Conscendent interea cathedram, quorum pietati facilè ac libenter concessimus veniam, recitaturi publicè, in consueto acroaterio, die Martis, Deo sic volente, quæ pro virili meditati sunt domi, in laudem HIMMELIANAM. Ac cum in tali argumento versentur cuncti, quod perspectà magnitudine & sublimitate meritorum, quibus omnes sibi devinxit B. Antistes, nos monere possit, quid Ei in tumulto debeamus, & quomodo in hoc itinere imitanda junioribus præcipuè honoratorum exempla veniant, neminem vestrum arbitramur fore, Patroni, & Fautores, qui non sponte, & vel tacente hac scripturâ, favere instituto surgentium velit. Id sicuti honorificum erit defuncto, & non nihil levamenti atq; solatij afflictissimæ familiæ afferet; Scholæq; nostræ proficiuū est; Ita omni officij & honoris genere de unoquoq; audientium id nos demerituros esse, nostrâ, id est Germana fide pollicemur. Per scriptum Torgæ. VI. CaL. NOV.

A. C. M DC. LXVI.





Partes suas in hoc Actu agent, quorum nomina  
in hac tabellâ consignavimus.

1. ANDREAS MYLIUS Ileburg. Misn. com-  
memoratis Heroum præmijs, deplorationem obitus  
Excellentissimi viri subnectet.
2. JOHANNES HEINRICUS SCULTETUS Torg: misn:  
Genealogiam Doctoris HIMMELII celebrabit.
3. JOHANN GEORGIUS WESSE Cizensis  
CARYOPHYLLI INDICI pictura desideratissimi  
sui quasi-parentis Tumulum honoraturus est.
4. A CHRISTIANO RÖTINGIO Finstervvald: Misn:  
Beatissimi Doctoris cum Jobo pijsimo comparatio-  
nem expectabit.
5. AUGUSTUS SCHÜTZ Weyd. M.  
Virum felicis jam memoriæ comparaturus cum arbo  
re fructuosa, & de illius beatâ ex his terris in coele-  
stem patriam emigratione pauca quædam latino idi-  
omate dicturus est.





99 A 6971

ULB Halle 3  
002 912 201



Sb.

VJ 12  
Retro









285

Ad  
EXTREMUM VALE  
TUMULO  
VIRI

ADMODUM REVERENDI, AMPLISSIMI ET EXCELLENTISSIMI,

# DN. ENOCHI HIMMELI,

S. S. Theol. Doct: celeberrimi,  
PASTORIS ET SUPERINTEND. TORGENSIS,  
ut optimè meriti ita quoq; desideratissimi,  
IN SHOLA DICENDUM,

DOMINOS HONORATISSIMOS,  
Patronos, Inspectores, & Fautores  
cunctos & singulos,  
Rector

## M. IACOBVS REICHMAN- NUS,

hac scripturâ humanissimè invitat.

---

TORGÆ  
LITERIS Johannis Reinhardi  
Anno 1666.

